

licae repugnare opinati sunt propter loca *Matth. V. 39.*
Ne obsistite iniurioso; si quis te percuferit in dextram maxillam, praebe illi et alteram; atque Rom. XII. 19.
Non vos defendantes carissimi, aliaque similia.

DCLIX. Enimvero Euangelium vult alios a nobis diligi aequae, ac nosmetipso, non autem magis, ipsique Apostoli gudio vtebantur. * Nec negotium faciunt opera loca. Siquidem D. *Mattheus* tam de leui iniuria loquitur, quam illa, quae futura effet religionis causa, D. *Pauli* autem verba tantum ad vindictam pertinent, sunt enim sic vertenda: *Vos non eliscentes, quemadmodum contextus docet.*

C A P V T XXIV.

De societate generatim.

DCLX. Quoniam in statu naturali connato quisque perfectae suae obligationi satisfacit actionibus negatiis, sive abstinentia ab alterius laesione, evidens est, ut durante primaeva hac aequalitate, ac libertate, in quaecadem erant omnium iura, ac obligationes, nemo *ius perfectum* habeat in actiones aliorum positivas, et quae in faciendo consistant. Quare si nobis competant huiusmodi iura, necesse est, ea hypotheticas esse, atque superadditas.

DCLXI. Nihil adquiritur sine sufficiente titulo ac modo, ergo nec *ius perfectum* et *affirmatum* in personas. Modus autem adquirendi originarius ad res, quae nullius sunt, pertinet. Ex quo sit, ut homines, qui naturaliter iura habent aequalia, ius in alios homines perfectum et affirmatum non adquirant, nisi modis derivatiis, pacto scilicet, vel lege, quibus porro *re unius in re alterius* transfcertur, et primaeva naturalis libertas, sive independentia, et aequalitas limitatur.

DCLXII.

* Cf. *Grot. I. c. III. 3. 4.*

DCLXII. Qum status, in quo duo vel plures finem aliquem communem obtinere conantur, *societas generatim* dicatur, inde consequitur, ut in omni societate opus sit, α) communi aliquo fine, β) vnione quadam voluntatum, quae ad illum tendant, γ) vnione virium, sive mutuo adiutorio, δ) negotiis socialibus, quibus socii tanquam mediis ad scopum propositum vtantur.

DCLXIII. Et quia *societas particularis* et aduentitia est status, in quo homo ius perfectum et affirmatiuum in hominem habet ad communem finem coniunctis viribus obtinendum, iura autem affirmativa in personas vel pacto, vel lege adquiruntur, in prompta est, cur *societas in pacitiam*, sive *voluntariam*, et *legalem*, seu *necessariam* diuidatur.

DCLXIV. Vti iura et fines sociorum sunt diversissimi, ita et *societas* in plurimas abeunt formas; sed quia lex non praecipit, nisi, quod bonum est, pacta vero irrita sunt, si facultas pacisendi moralis desit, conficitur, *societas* veri nominis instas et licitas esse debere, non vero illicitas et iniustas. L. 57. D. pro soc.

DCLXV. Quaecunque autem sit *societas*, socii qua tales vnam voluntatem habere, et coniunctis viribus ad eundem finem contendere debent, et idcirco quaedam obligationes, et quaedam iura cuiuslibet *societas* propria cogitantur. Et iam tenemus causam, cur omnis *societas* tanquam *vna persona moralis* respiciatur; quae ratione aliorum, qui de *societate* non sunt, iura sua naturalia libertatis et aequalitatis sorte recta retineat.

DCLXVI. *Salus societatis* est non impeditus progressus ad eius finem consequendum, ipse autem finis quatenus obtinetur, *commune bonum* dicitur; quamobrem quilibet *socius* communi bono studere obligatur ex fine et pacto *societatis* aestimando, ita quidem, ut in *societate voluntaria*, in qua iura et obligationes so-

ciales pacto extendi vel restringi possunt, primario pacti, dein finis socialis in subsidium dumtaxat sit habenda ratio.

DCLXVII. Inde autem colligimus principium cognoscendi iura et obligationes sociales esse societatis finem; omnes vero leges sociales in illa vniuersali propositione contineri: *Fini societatis conuenienter viuas.*

DCLXVIII. Qui iura non competentia sibi in alienum adrogat, vel qui impedit, quo minus homo iura etiam adquisita exercere possit, fit laedens; igitur socii duplici se laedunt modo, I. si unus maiora praetendat iura, quam ex fine et pacto societatis fuerunt translata, aut II. si alter alterum in exercitio iurium concessionum impedit, et sic suae obligationi haud satisfaciat.

DCLXIX. Atque in utraque specie, si res in abstracto spectetur, habet laesus ius cogendi laedentem, ut laesio cesset, vel etiam discedendi a societate; fieri tamen potest, ut vi pacti, vel finis societatis alia ratio et modus fuerit determinatus, quo quisque socius iura sua persequatur, qui porro erit etiam servandus.

DCLXX. Libertas sociorum naturalis quoad eas tantum actiones diminuitur, circa quas vi societatis obligationem contraxerunt, contra vero in iis, in quibus ut socii spectari nequeunt, ipsis adhuc status ac libertas naturalis remansit; quare socii in negotiis, in quibus ut socii considerari non possunt, inuicem iure utuntur naturali, et bono etiam proprio priuato licite inuigilant.

DCLXXI. Si contingat officia socii erga se ipsum cum officiis erga societatem collidi, posteriora praeferre oportebit, quia bonum maius bono minori, et bonum totius bono partis praeponderat, eaque est naturae Auctoris voluntas, ut ad id semper, quod perfectius est, enitamur.

DCLXXII.

DCLXXII. Et sane qui in societatem coiverunt, id etiam polliciti sunt; nam sic malum certum, quod erat positum in insufficientia ad finem, cum malo incerto atque remoto commutarunt; denique, si socius bonum proprium bono communis anteficeret, obligationem socialem perfectam violaret, ac ius belli tribueret sociis, inde vero maioris adhuc infelicitatis periculum subiret.

DCLXXIII. Leges sociorum eo non pertingunt, ut aliquid contra officia Deo debita praeципere valeant; eo igitur in casu officia erga socios non praeirent.

DCLXXIV. Societas, quae ex aliis societatibus tanquam partibus coaluit, est *composita*; si minus, *simplex*; igitur sicut socii se habent ad suam societatem *simplicem*, ita se habent societas *simplices* ad *compositam*, et hinc membra societatis *simplicis* obligata sunt, 1) ut actiones suas ad commune bonum societatis *compositae* dirigant, 2) ut in collisione boni societatis *simplicis* cum bono societatis *compositae* illud tanquam medium huic veluti fini postponant.

DCLXXV. Porro societas sine imperio est *aequatoria*, *aequalis*, cum imperio *rectoria*, *inaequalis*, igitur in societate *inaequali* adest dependentia ab alterius arbitrio, sive *subiectio*, nec non *inferior*, sive *subditus*.

DCLXXVI. Quia in societate *aequali* non est imperium, negotia socialia ex natura societatis et ex communi voluntate determinari debent; quam quum in singulis negotiis obtinere sit difficillimum, consequens est, ut ab drita societatis tam media, quae semper eodem modo ad finem societatis requiruntur, quam validum consentiendi modum in reliquis negotiis nondum determinatis communi voluntate definire oporteat.

DCLXXVII. Quia vero impossibile est de omnibus futuri circumstantiis cogitare, quotiescumque nouae emergunt species, quae pro bono societatis decidenda sunt, opus est, ut in consensu omnium ad normam antea statutam sufficienter declarato perficiatur.

DCLXXVIII. Declaratio voluntatis socii facta se-
cietati de eo, quod communi consensu definiri debet,
votum dicitur vel *suffragium*. Estque 1.) vel *adfir-
mativum*, vel *negativum*, 2.) vel *categoricum*, vel
conditionale, 3.) vel *expressum*, vel *tacitum*, 4.) vel
deliberatum, vel *decisum*. Et prout vel omnes
socii idem volunt, vel vero dissentient, vota quoquæ
sunt, 5.) vel *vnanimia*, vel *diuersa*, haec autem 6.)
maiora, minora, paria.

DCLXXIX. Quando socii votis inter se collatis
deterrinant, quid fieri, vel non fieri debeat, tunc *con-
cludunt*; unde intelligitur, *vnanimia* semper concludere,
nunquam paria, nisi antea esset definitum, vt
vnius personae votum vincat, aut vt valeat *calculus
Mineruae*. Secus rem vel sorte decidere, vel si res
moram ferat, nouam consultationem instituere licebit.

DCLXXX. In societate *vna* est voluntas, quæ
quum per plura motiva determinetur, in dubio vota
maiora concludere debent, vt res inueniat exitum, nisi
aliter ab initio placuerit, veluti vt adsint duae ter-
tiae. Et quia *vnu*quisque suum iudicium pro meliori
et veriori habet, vota non ponderare, sed numerare
necessæ est.

DCLXXXI. Si tres vel plures sociorum sint sen-
tentiae, et curandum sit, vt negotium finiatur, illa
vota plus valere debent, quibus pauciora aduersantur,
et quum sequi non liceat, quod plurimis placet, id
erit sequendum, quod displicet paucioribus. Quod si
rem, in qua fundamentum habet societas, non omnes
aequaliter participant, vota erunt aequaliter in rati-
one eius, quod *vnu*quisque participat, tunc enim
vnu pro pluribus sociis computatur.

DCLXXXII. Qui votum ferre *non potest*, is ius
non habet exercendi suffragium; et qui *non vult*, siquidem
praesens sit, expresse ei renuntiat, si autem ab-
sens, renuntiat tacite, nisi id alteri committat; igitur
ius absentium praesentibus adcrecit.

DCLXXXIII.

DCLXXXIII. Leges sociales praescribunt media in finem communem idoneam. Igitur 1.) nulla societas sine legibus stare, et nullius salus sine legum custodia conseruari potest. 2.) Singulus quisque socius tenetur vniuersitatis legibus societatis parere. 3.) Quicunque recipitur in societatem, se huius legibus submittit, vel expresse, vel tacite.

DCLXXXIV. Pactorum valor pendet a contrahentium voluntate; si igitur societas sit mere pactitia, poterit illa vi libertatis naturalis sociales leges tollere, mutare, aliasque surrogare, et ita singuli quidem socii legibus obligantur, non autem vniuersi; quare etiam a societate, sive ad certum tempus, sive ad dies vitae inita, communis consensu recedere poterunt.

DCLXXXV. Atque hoc de societate aequali. Quae vero societatis inaequalis iura sint et obligations, hisce positionibus includimus. I. Imperans habet ius perfectum, determinandi actiones permissas subditorum, sive potestatem, ex fine tamen et pacto dimidiandam.

DCLXXXVI. II. Huic potestati porro parendi obligatio correlata est, ne secus inutile sit imperium, et ideo cessat libertas naturalis quoad actiones, in quas imperanti qua tali ius competit. III. Potest igitur imperans subditis leges ferre, et media omnia ad finem hunc necessaria adhibere, hinc leges sanctione poenali munire. IV. Sed, quia ramen harum legum vis ab eiusdem pendet arbitrio, illas etiam mutare et tollere potest, atque adeo ipse ab earum obligatione est immunis.

DCLXXXVII. Non autem eidem licet leges alias condere, quam pro bono societatis communi, nec leges conventionales pacto constitutas violare. V. Qui se subiicit ad tempus, is libertatem tantum suspendit, qui vero pro semper imperio se submittit, libertatem alienat. VI. Quum pacta sint seruanda, nec impe-

temp

rans indistinctim se abdicare imperio, nec subiectus
se ei subtrahere poterit altera parte inuita.

DCLXXXVIII. Imperium, quod solummodo na-
tura et essentia societatis restringitur, est *absolutum*,
quod vero etiam ab accidentalibus pactis accipit mo-
dum, limitatum, seu *temperatum* vocatur; quod si in
actiones permissas omnes subditorum, atque eorum res
competat, est *despoticum*.

DCLXXXIX. Vnum despoticum imperium ab
altero haud differt specie, in eo enim subditis nil pro
bono privato facere licet; sed differt limitatum, in-
finita enim sunt pactorum genera, quae translationi
imperii adiici possunt. Et quia in imperio *temperato*
non omni renuntiatur libertati, societas hujusmodi
quoad ea, quae iuri imperantis non subsunt, ut socie-
tas *aqualis* quidem spectanda est, modum tamen, qui
ab initio placuit, ius suum persequendi, societas par-
tialis egredi non potest.

DCXC. Nulla cedit obligatio in actiones physice
vel moraliter impossibilis, ergo nec *imperium*, quo-
rum et actiones mere internae pertinent, si de hominis
imperio sit sermo. Porro imperium in actiones tan-
tum permissas se exserit, nequaquam vero id ius est
de vita et substantia subditorum disponendi pro arbi-
trio, igitur a *domino* imperium distingui debet.

DCXCI. Si subditus obligationi non satisfacit,
imperantem laedit, dat itaque illi ius cogendi et malum
cum actione iniusta copulandi, quod *poena* est
strictius sumta. Haec ad omnes laesiones tam dolo-
sas, quam culposas pertinet, non vero ad eas, quae
nequeunt imputari.

DCXCII. Societas est persona moralis, quae ra-
tione non sociorum originetenus statu naturali vtitur;
itaque non modo iuribus vniuersalibus, veluti con-
feruationis, aequalitatis, independentiae, sed etiam
particularibus et adquisitis gaudet, eaque, ut reliqui
homines, mediis proportionatis tueri potest.

DCXCIII.

DCXCIII. Quemadmodum societas pacto, vel lege nimitur, ita iisdem modis cessat, si nimis longe definatur legis et obligationis ratio, aut nexus pactitius dissolvatur.

CAPVT XXV.

De societate coniugali.

DCXCIV. A iure sociali generatim ad examen specialium societatum transimus, quae quoniam sunt innumerae, hic non nisi de tribus simplicibus I. *coniugali*, II. *parentali*, III. *herili*, dein IV. de una, quae ex his nascitur, *composita*, familiae scilicet, seu *domestica* pro instituto nostro agemus; ut postea ciuitatis obligations penitus suo tempore intelligi possint.

DCXCV. Intendit sapientissimus naturae Auctor humani generis conseruationem, idque corporis nostri structura, et inditi naturales stimuli satis testantur; quare ad fines ex rerum essentia fluentes, et ad corporis humani perfectionem, in consensu operationum cum eius scopo positam, sobolis quoque propagatio pertinet. Igitur et sobolem procreare obligamur. v.
Senecc Hyp. v. 478.

DCXCVI. Discimus ab experientia, hancce procreationem fieri aliter non posse, quam a duabus personis diversi sexus, eam vero inutilem fore, nisi proles etiam educetur, hoc est: quum ob immaturam aetatem se ipsam perficere non valeat, ad id idoneas efficiatur. Qui ergo sobolem tenetur procreare, ei etiam educandi, et porro voluntatem et vires in hunc finem cum persona diversi sexus coniungendi officium impunit.

DCXCVII. Coniunctio personarum diversi sexus procreandae et educandae sobolis causa inita est matrimonium; qui sunt in matrimonio, *coniuges*, et *coniux mas maritus, coniux femina uxor* appellantur.

DCXCVIII.